Fragmentarium

in libro viventium et non delebitur
in eternum. Ecce ab hodierno die
renovata es et vivificata es
et manducabis panem benedicti-
onis et bibes potum incorrup-
tionis et ungeris crismate
sed letare aseneth virgo. Ecce
dedi te hodie sponsam ioseph
et ille tuus sponsus erit in secula
seculorum et nomen tuum non vocabitur
ad huc aseneth sed erit nomen
tuum multis refugium quia in te
confugient gentes super dominum deum
altissimum et sub alis tuis coop-
erte multi confidentes in
deo et in muro tuo conserva-
buntur attendentes altissimum
Quem penitentia eius tua exoravit
altissimum super te omni hora
et super omnes penitentes in nomine
dei altissimi. Et est penitentia
filia altissimi et intendens super
virgines et amat vos valde
et pro vobis rogat omni hora
altissimum et pro omnibus peniten-
tibus in nomine dei excelsi pater
eorum fiat virgines et requiescere eas
faciat in loco quem preparavit in celis
et renovat eas et ministrat eis
in eterna secula. Et est penitentia valde
bona virgo hilaris semper et modes-
ta et mansueta et idcirco altissimus
diligit eam et omnes angeli reve-
rentur eam et ego diligo eam
valde. Et ecce pergam ad ioseph
et loquar ei de te omnia verba mea
et veniet ad te hodie et videbit
te et gaudebit super te et ama-

bit te et eris ei sponsa et ipse erit
illi sponsus in secula seculorum. Et
nunc audi me aseneth virgo et
indue stolam nuptialem anti-
quam ad huc in thalamo tuo et
omnia ornamenta nuptialia
circumpone et exorna te ipsam ut
sponsam et procede in obviam
ioseph. Ecce enim ipse veniet ad
te hodie et videbit te et letabitur.
Et postquam consummavit angelus
domini loquens verba ista letata
est aseneth leticia magna super
sermonibus eius. Et adoravit
eum super faciem suam et dixit
Benedictus dominus deus tuus
altissimus qui transmisit te ut
liberaret me de tenebris et sub-
traxit me de fundamento abyssi
et benedictum nomen eius in eternum
Dic mihi quod est nomen tuum domine ut in-
quantum laudem et glorificem te
in secula seculorum. Dixitque ei an-
gelus domini Nomen meum de celis
est scriptum in libro altissimi
digito dei in capite libri ante
omnes quia princeps sum domus
altissimi et omnia descripta in
illo libro ineffabilia sunt et non
conveniunt hominibus in hoc seculo ea
neque audire quia magna sunt
et mirabilia valde. Et dixit
aseneth Si inveni gratiam in
conspectu tuo domine et cognoscam
quia tu facies omnia verba que locutus
es ad me loquatur nunc ancilla
tua in conspectu tuo. Et dixit ei loquere

License: cc-by-nc-sa – Scherpenheuvel-Zichem, Abdij der Norbertijnen van Averbode, Archief, Sectie IV, hs. 431, 21, fol. [2]r – <i>Joseph et Aseneth</i>; Petrus Alphonsi, <i>Disciplina clericalis</i>
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-3les/7158/58112)